

ipsis non licuerit. At hos non moror, cum ii, qui haud imaginarii, sed veri fuerunt Stipendiati, quod superest temporis spatium iure sibi queant vindicare. In his breviter recensendis & nominandis potius, quam prolixè describendis (modum enim in dicendo mihi quaerendum esse, video) seriem sequar literarum, ut morem in civitate erudita dudum, testibus libris, in quibus nominatim doctorum virorum confecta ratio, receptum observem, nullius dignitati fraudi sim, & memoriam iuven illorum, qui Stipendiatorum Schabbelianorum, memoratu dignissimorum, cupiunt recordari, eorundemque notitia facile repetenda delectantur. Iste ordo primum assignat locum LVCAE BACMEISTERO, praecipuis, qui in Luneburgensi prognati sunt civitate, Theologis annumerando. Hic uti ex inclyta familia Bacmeisteriana, cui multos peregregios viros coetus debet Lutheranus, traxit originem, ita maiorum suorum non nomina gerere solum voluit, sed eorum virtute se excitari etiam passus est ad sanctiora studia indefesso labore tractanda & asserenda. Quae res tam prospere ei cesfit, ut ad sacrorum Antistitis, primum apud Hadelenses, deinceps Ratzeburgenses (20), dignitatem feliciter ascenderit, utroque munere eximie functus adeo, ut fidem probaverit & peritiam, insignemque meritorum laudem reliquerit. Excipit hunc CHRISTIANVS BILEFELDIVS, Lubecensis, *Hermanni Bilefeldii*, Scholae Collegae bene meriti, filius, qui auspiciis Theologi immortalibus in sacra puriora meritis inclytissimi, *Abrahami Calovii*, summos, quibus sanctioris disciplinae palaestram ingressi condecorantur, honores adeptus, Wernigerodensium factus primum, & postea, si recte scripsit *Neumannus* (21), Delitiensium Superintendens, munia sanctiora non sine multo commodo administravit.

B 2

Scri-

(20) Conf. GEORG. FRID. NEVMANNI Orat. de Favore Lubecensium in Exteros pag. C. 3. b. ANONYMI Nachr. von denen Kirchen, Evangelisch. Superintendenten, Pastoribus und Diaconis im Fürstenthum Lauenburg p. 21.

(21) loc. cit.